

compensationem tenetur; quia aequum non est, ut unus spoliatur, aliis intactis, prout ex iure naturali et positivo constat (26).

§35. — 3<sup>o</sup> Superior ad restitutionem non tenetur, si minus dignis officia societatis distribuit; quia non violat ius strictum dignioris, nec communitatis, quae aliud exigere nequit, nisi ut indigni ab officiis arceantur. — S. Lig. lib. 4. n. 107. contra aliquos. Secus vero, si in concursu Superior minus dignum digniori praeferret; quia in concursu intervenit pactum, ex quo *ius strictum* digniori competit.

4<sup>o</sup> Non tenetur ad restitutionem Superior, qui dignitates mere honorificas distribuit sive minus dignis, sive etiam indignis; quia neminem iure suo privavit, quamvis peccaverit ob personarum acceptionem.

5<sup>o</sup> Tenetur ad restitutionem erga communitatem Superior, qui officiis publicis indignos destinat; quia *ex quasi contractu* tenetur bonum communitatis promovere. Imo tenetur etiam ad restitutionem erga privatos, qui ex indignis ministris damnum iniustum in bonis fortunae patiuntur.

## CAPUT II.

### DE PRAECIPUIS IURIS SPECIEBUS.

Praecipuae iuris species sunt dominium, usus, usufructus, et servitus.

#### ARTICULUS I. — DE DOMINIO.

§36. — DEFINITIO. Dominium est facultas legitima disponendi de re aliqua tanquam sua (1).

DIVISIO. Dominium praecipue dividitur in *perfectum* et *imperfectum*, prout est ius disponendi tum de re ipsa, tum de eius utilitate, aut de alterutro tantum.

Imperfectum autem subdividitur in *directum* et *indirectum* seu *utile*, prout respicit solam rei proprietatem, vel solam eius utilitatem.

Communiter distinguunt etiam dominium *altum* et *humile*. Prius dicitur ius, quod habet suprema auctoritas disponendi aliquando ex gravissima causa de bonis privatorum in bonum communitatis, ut superius n. §34. dictum est. Posterius est dominium privatorum, cui proprie definitio convenit.

(26) In usu huius iuris, uti ex A. quoque colligitur, haec cavenda sunt: 1<sup>o</sup> id postulare debet necessitas; 2<sup>o</sup> usus excedere non debet rationem necessitatis; 3<sup>o</sup> abesse debet personarum acceptio, ne scilicet quidam graventur, dum aliis in simili causa et conditione parcitur: ita

v. gr. iniquissime subinde agitur cum hospitibus milites destinantur; 4<sup>o</sup> illata damna in quantum fieri potest, sunt resarcienda.

(1) Quidam addunt: *nisi lege prohibeatur*, quia, v. gr. pupillis et minoribus lex liberam non sinit rerum suarum alienationem.

Caeterum dominium *altum* non est dominium proprie dictum, seu non est verum dominium proprietatis, cum respublica *per se* non habeat ius strictum in bona subditorum. Sed dominium illud medium quoddam tenet inter *dominium proprietatis* et *dominium iurisdictionis*, possetque vocari *dominium administrationis*. — Ita Carrière, n. 19. (2).

Agendum 1<sup>o</sup> de obiecto; 2<sup>o</sup> de subiecto; 3<sup>o</sup> de acquisitione domini.

#### §. I. De obiecto domini.

§37. Principia. — I. Homo habet dominium *utile* bonorum, quae sibi intrinseca sunt, nempe animae et corporis. Ideo potest absque ullius iniuria iis uti ad propriam utilitatem, et in omnem usum a lege non prohibitum.

Non habet tamen dominium *directum* horum bonorum. Constat ex Scriptura sacra; sic Sap. 16. 13.: *Tu es, Domine, qui vitae et mortis habes potestatem*. — Item Deuter. 32. 39.: *Ego occidam, et ego vivere faciam*. — Constat etiam ex lege naturali, ut diximus, ubi de *quinto Decalogi praecepto*, n. 389. et seq.

§38. — II. Homo habere potest dominium *utile* et *directum* in bona externa fortunae legitime acquisita. Constat 1<sup>o</sup> *quoad dominium utile*, quia ex una parte bona haec apta sunt de se ad conservationem vel utilitatem hominis promovendam, et ex alia parte eorum usus iuri divino et humano non adversatur; quinimo Deus ipse praedictorum bonorum saltem utilitatem permisit his verbis, Gen. 1. 28.: *Dominamini piscibus maris et volatilibus caeli*, etc. — Et Psalm. 8. 8.: *Omnia subiecisti sub pedibus eius*. — Constat 2<sup>o</sup> *quoad dominium directum*, quia facultas applicandi bona fortunae ad usus suos nullo iure restringitur; imo expresse permittitur iure humano, ut patet ex variis legibus circa ius possidendi, et iure divino in allatis verbis: *Dominamini*, etc.

§39. Quaesita. — QUAE. 1<sup>o</sup> *An homo habeat dominium suae famae?*  
Resp. *Affirm.*, iuxta sententiam communem; nam etiam circa famam homini competunt primarii actus domini, ut eam labore acquirere, eius restitutionem condonare, etc. Ergo... Attamen prudentia exigit, ut non eam prodigat sine iusta ratione, et aliquando tenetur *sub gravi* eam sedulo servare ratione scandali, damni familiae removendi, etc. — S. Lig. lib. 3. n. 983. — Billuart, diss. 3. art. 2.

QUAE. 2<sup>o</sup> *An homo in alium hominem dominium habere possit?*  
Resp. 1<sup>o</sup> *Neg.* quoad dominium proprietatis; illud enim soli Deo competit, ut constat ex dictis n. §22.

(2) Sed et hic conceptus plane obscurus est. Dic simpliciter esse ius reipublicae proprium, ut praescribat, quid ad bonum commune sit necessarium, aut expediat.

*Resp.* 2<sup>o</sup> *Affirm.* quoad dominium *utile* seu hominis operas. Ratio est, quia homo quilibet est dominus propriae operae; ac proinde potest illam alienare in propriam utilitatem, et dominium alterius tradere. Dominus enim pro arbitrio de obiecto dominii sui disponere potest.

Hinc 1<sup>o</sup> homo potest de iure naturali etiam in perpetuum se alteri vendere quoad dominium utile. Si enim potest alteri dominium sui utile conferre pro aliquo tempore, idem facere potest in perpetuum, siquidem cedere potest, quidquid habet. 2<sup>o</sup> *Per se* iuri naturae non repugnat *servitus*, seu status subiectionis perpetuus, quo quis pro alimentis tenetur omnes operas suas alteri praestare.

§40. — QUAER. 3<sup>o</sup> *Ex quibus titulis induci possit servitus?*

*Resp.* Ex quatuor sequentibus titulis: 1<sup>o</sup> *Ex pacto*, seu renuntiatione propria. Etenim non repugnat, ut quis renuntiet suae libertati ad propriam inopiam sublevandam, etc. — 2<sup>o</sup> *Ex iure belli*. Non enim repugnat, victorem hanc quandoque poenam infligere. Quandoque enim posset captivos occidere ob gentis securitatem; ergo *a fortiori* eos in servitutem redigere. — 3<sup>o</sup> *Ex delicto*, seu ex iusta condemnatione. Etenim si reus potest damnari ad mortem, *a fortiori* ad servitutem, cum privatio vitae summa omnium poenarum merito censeatur. — 4<sup>o</sup> *Ex nativitate* in statu servitutis, quandoquidem de iure servi sunt, qui e servis nascuntur. Ita ex iure gentium iuxta communem sententiam. — Lugo, disp. 6. n. 11. et 17.

§41. — QUAER. 4<sup>o</sup> *An licitum sit Nigritarum commercium?*

*Resp.* 1<sup>o</sup> Omnino illicitum est ex omni iure, quoties Nigritae iniuste libertate spoliuntur, et turmatim ut vilia pecora a regionibus suis transvehuntur, et venduntur, ut fit in nefario eorum commercio (*Traites des Nègres*). Contra tam immanem negotiationem prodire variae Constitutiones apostolicae, nempe *Pauli III. Urbani VIII. Benedicti XIV.* et nuper *Gregorii XVI.* in Constitutione *In supremo apostolatus*, 3 Decembris 1839. ut videre est apud folium publicum dictum: *Ami de la Religion*, tom. 103. n. 3219.

*Resp.* 2<sup>o</sup> Si vero agatur de nigris aut aliis in legitima servitute existentibus, *per se* illicitum absolute non est, quia semel admissa servitute ut legitima, dominus verum ius in servos, seu in eorum operas habet, et proinde illud transmittere in alios valet. Dixi, *per se*; ob stare enim possunt circumstantiae, v. gr. si coniux a coniuge esset separandus, vel leges civiles id vetent, prout reapse generatim in Europa servitus interdicatur.

## §. II. De subiecto dominii.

§42. — Subiectum dominii est rei alicuius dominus, seu ille cuius est res aliqua. In terra omnis et solus homo est dominii capax, quia omnis et solus homo cognoscere potest utilitatem rerum, et eas velle sibi appli-

care, si nullius sint (3). Nec incapaces sunt dominii parvuli, nec ipsi amentes; quia quamvis non possint res facere suas occupatione, id tamen possunt per actus alterius, v. gr. tutoris (4).

*Agendum* speciatim de dominio 1<sup>o</sup> filiorumfamilias, — 2<sup>o</sup> uxorum, — 3<sup>o</sup> Clericorum, — 4<sup>o</sup> auctorum. De dominio autem Religiosorum dicetur infra in *Tr. de Statibus*, ubi de voto paupertatis.

## PUNCTUM I. — De dominio filiorumfamilias.

§43. — Filiifamilias proprie hic dicuntur illi, qui ex legitimo matrimonio orti, cuiuscumque sint sexus, adhuc paternae potestati subiacent. Diversi generis sunt bona filiorum, iuxta diversa populorum statuta.

I. *Ex Iure Romano* distinguuntur bona 1<sup>o</sup> *castrensia*, id est, occasione militiae acquisita; — 2<sup>o</sup> *quasi castrensia*, seu acquisita ex aliquo officio civili, v. gr. iudicis, medici, etc.; — 3<sup>o</sup> *profectitia*, quae filius ex bonis paternis lucratur, v. gr. agendo negotiationem cum pecunia patris: huc spectant etiam bona, quae filio dantur patris intuitu; — 4<sup>o</sup> *adventitia*, quae filio proveniunt aliunde quam a bonis paternis, nisi donata sint filio intuitu patris.

II. *Ex Iure Gallico* distinguuntur 1<sup>o</sup> bona acquisita *industria separata* filii, aut *ipsi soli data*; 2<sup>o</sup> *caetera* bona filii provenientia. Bona autem acquisita *industria separata* comprehendunt bona castrensia et quasi castrensia Iuris Romani, et insuper quidquid filius lucratur labore vel commercio separato (\*).

(3) Clarius et efficacius rationem sic reddit Lugo (*De Iust.* disp. 3. n. 1.): *Ille solus habere potest ius, qui capax est iniuriae patiendae... ille autem solus patitur iniuriam, qui invitatus eam patitur: debet autem esse invitatus, non quidem per voluntatem, qua velit rem suam, sed per voluntatem, qua velit retinere ius ad rem ipsam, seu obligare alios, ne eam auferant. Bruta vero non possunt habere talem voluntatem, cum nec obligationem moralem nec turpitudinem cognoscere possint; ergo non possunt esse invita, sicut nec possunt dare licentiam, vel transferre dominium ob eandem rationem; quia cum non cognoscant ius morale, non possunt cedere iuri suo.... Sola ergo natura intellectualis, quae eiusmodi obiecta cognoscere potest, capax est dominii habendi.*

(4) Penitior ratio capacitatis dominii in infantibus aliunde quaerenda est; nam quod vices eius gerat tutor, id a iure positivo est, nec illius capacitatis rationem reddit. Adeatur itaque Lugo, qui duo in hanc rem egregie pro more suo explanat. Primum est, a natura ipsa esse necessitatem dominii seu proprietatis, quam violare nefas sit; imo seclusa omni humana conventionem seu decreto, a natura esse generatim etiam modos quosdam dominii acquirendi (Vid. *De Iust.* disp. 6. n. 1-6.). Alterum est, ipsius naturae ordinem exigere, ut dominia etiam sine voluntate acquirentis transferri in alium possint, quin imo ut transferri queant in eum, qui nondum vivit: adeo ut leges humanae, quae de his decernunt, reipsa ius naturae explacent ac tueantur.

(\*) Ius italicum C. C. artt. 228. 229. distinguit bona filiorum 1<sup>o</sup> in bona quae

§44. **Principia ex iure Romano.** — I. Filius habet perfectum dominium honorum castrensiū et quasi castrensiū: impubes tamen eorum administrationem non habet.

II. Pater habet dominium perfectum profectitorum, dummodo filius sit sub paterna potestate (5). Potest tamen filio usumfructum profectitorum cedere.

III. Filius habet dominium proprietatis in adventitia, pater vero usumfructum et administrationem (6). Si autem sint consumptibilia, pater de ipsis potest disponere, sed cum onere restitutionis, prouti generatim in casu dominii sic divisi fieri solet.

IV. Si filius negotiatus est bona paterna nomine patris, lucrum est profectitium; si vero nomine proprio, adventitium est. In dubio autem an lucrum venerit ex bonis patris vel alterius, ut profectitium habendum est, quando filius bona paterna administraverit. — S. Lig. *ibid.*

V. Si filius negotietur extra domum patris ex aliis bonis quam paternis, lucrum est adventitium; lucrum vero filii laborantis in domo paterna et a patre nutriti, profectitium est. — S. Lig. *ibid.*

§45. **Principia ex Iure Gallico.** — I. Filiusfamilias habet perfectum dominium in bona acquisita industria separata, et in ea quae ipsi soli dantur *C. C.* 387., quamvis eorum administrationem non habet ante maiorem aetatem (21. ann.), vel ante emancipationem. *C. C.* 389., 481. et seq.

II. In caetera autem bona habet dominium directum ante annum 18. completum, vel ante emancipationem, quae post ann. 15. fieri potest. Interea autem pater eorum usufructu potitur; et similiter mater, patre mortuo, modo alias nuptias non contrahat. *C. C.* 384., 386., 476. et seq. (\*).

filio proveniunt ex successione, donatione aut quolibet alio titulo lucrativo: 2° in ea bona, quae relicta aut donata filio sunt sub ea conditione, ut patri usufructus non cedat, quae relicta aut donata filio promunere, arte, professione capessenda, quae filio proveniunt ex hereditate, legato aut donatione acceptatis in utilitatem filii contra consensum patris, quae filius acquisivit occasione aut exercitio militiae, officiorum, munerum, professionum, artium aut labore proprio et propria industria separata.

(5) Nimirum si filio paterna potestate exempto quidpiam patris intuitu donetur, id non amplius profectitorum honorum censu continetur.

(6) Aliquando tamen etiam usufructus ad filium devolvitur. *Conf. Lugo (De Iust. disp. 5. a n. 23.).*

(\*) Ex iure italico pater habet usumfructum honorum quae in nota (\*) sub §. 543. enumeravimus sub n. 1° eumque retinet donec filius emancipetur aut ad aetatem maiorem pervenerit. Idem valet de matre exercente patriam potestatem. Quoad alia bona sub n. 2° ibidem recensita pater usufructu non potitur. Habet tamen eorum administrationem usque dum filius emancipetur aut excedat ab aetate minori. Desinit parens usufructu frui cum ad alias nuptias transit art. 228-232.

§46. **Quaesita.** — **QUAER.** 1° *An filius habeat dominium perfectum in bona mobilia ipsi data a parentibus aut cognatis?*

*Resp.* 1° *Affirm.*, si primo usu sint consumptibilia, quia ipsi ad usum absolute dantur, nisi forte aliqua restrictio appositae fuerit, v. gr. ad usum determinatum, ut esset pecunia ad libros emendos, etc.

*Resp.* 2° Si non sint primo usu consumptibilia, ut libri, vestes, etc., filius non habet generatim nisi dominium utile, quia parentes fere non aliud ipsi conferre intendunt.

**QUAER.** 2° *An filius censeatur renuntiare usufructui, ad quem ius habet, si, eo vidente et tacente, pater hunc usumfructum percipiat?*

*Resp. Neg.*, saltem generatim loquendo. Ratio est, quia silentium in tantum aequivaleret renuntiationi, in quantum filius facile reclamare posset; iam vero quin id facile possit, plerumque metus reverentialis obstat. — *Communis.*

§47. — **QUAER.** 3° *An filius habeat dominium eorum, quae in domo paterna lucratur?*

*Resp.* 1° *Affirm.* in casibus seq.: 1° si sit emancipatus; 2° si laboret nomine proprio; sed tunc pater non tenetur eum alere; 3° si non teneatur ex conditione sua laborare; 4° si excessu *extraordinario* plus caeteris fratribus operis et laboris impendat.

*Resp.* 2° *Neg.* autem, 1° si labor filii sit necessarius ad vitam parentum sustentandam; 2° si parvum lucrum faciat, quia vix expensas a parentibus pro se factas adaequaret.

*Resp.* 3° *Probabilis Neg.* etiam praeter praefatos casus, si filius laboret et lucretur sat notabiliter prae fratribus, non tamen excessu *extraordinario*; quia filius tum censeatur agere ut membrum familiae, et sic lucrum omne bono familiae cedere debet. — Aliunde pax familiarum postulat, ne plus aequo cupiditati filiorum indulgeatur, quo ianua litibus innumeris praecludatur. — S. Lig. (*saltem practice*), n. 488. et §44. — Billuart. — Laymann. — Gousset, n. 684.

Attamen sat *probabilis* apparet sententia opposita, quia filius non est peioris conditionis, quam famulus. Sed lucrum illud filius repetere non deberet *per se* ante mortem patris, cum difficile sit antea diiudicare, utrum filius passus sit damnum, necne. — Ita Pontas, verbo *Compensation.* — Lessius, l. 2. c. 12. n. 81. — Elbel, n. 77. — Collet, c. 2. — Bouvier, c. 2. art. 1. — Carrière, n. 244. — Vernier, n. 340. — Ituriaga, t. 1. cas. 3. — Vide *Casus*, n. 503. et seq.

Caeterum in praxi recedendum non est a prima sententia (7), saltem

(7) Cum A. dicit, *in praxi non recedendum a prima sententia*, cuius oppositam alioqui fatetur esse probabilem,

non ita intelligendus est, quasi debeat aut etiam possit cuiquam imponi obligatio; nam Confessarius non est legislator, nec

ante factum ob hallucinationis periculum. Insuper perpendendae sunt circumstantiae, in quibus versantur tum filius tum eius coheredes, ut iudicetur, quid aequalitas iuris stricti requirat.

Secunda vero sententia licet aliquando in praxi teneri saltem post factum possit, tamen minime publice docenda est propter incommoda, quae per abusum inde sequerentur (8). — Ita Bouvier, *ibid.* — Carrière, *ibid.*

PUNCTUM II. — *De dominio uxorum.*

548. — Bona uxoris sunt triplicis generis, scilicet

1<sup>o</sup> *Dotalia*, quorum fructibus vir gaudet ad onera matrimonii sustinenda.

2<sup>o</sup> *Paraphernalia* (*παρά φερνήν praeter dotem*), quae uxor habet praeter dotem, et quae sibi specialiter reservat.

3<sup>o</sup> *Communia*, quae pactis coniugum aut determinatione legis in societatem quamdam conferuntur.

Possunt coniuges ante ineundum matrimonium determinare, quibus conditionibus subiicienda sint ipsorum bona, servatis quibusdam legis statutis; si haec facere omiserint, lex supplebit.

I. *Dispositiones Iuris Romani.*

549. — I. Uxor habet dominium directum *suae dotis*, maritus vero usumfructum et administrationem. Mortuo viro, ipsa omnibus creditoribus mariti personalibus praefertur, et etiam in vita dotem iuridice repetere potest, si timeat, ne vir fiat impotens ad illam restituendam. Si dos consistat in pecunia, aut in aliis usu consumptibilibus, dotis quidem plenum dominium viro tribuitur, sed cum obligatione valorem restituendi, traslato pro uxore dominio in omnia bona mariti pro rata seu quota suae dotis (9). S. Lig. n. 489.

II. Uxor tenet plenum dominium et administrationem bonorum *para-*

habet potestatem imponendi aut indicendi certam obligationem, quando haec est incerta, et incerta sane est, quando probabile est, eam non existere. Hoc itaque A. tantum innuit, prudenter suadendam illam praxim: prudenter, inquam; ne dum hallucinationes timet in poenitente, ipse gravius hallucinetur, et sic poenitentem non iniusta utilitate privet.

(8) Sed neque prima sententia publice docenda erit propter gravius incommodum iniiciendi falsam conscientiam, quae hunc

mere fructum affert, ut aedificet ad gehennam.

(9) Id valet, si dos consistit in rebus, quae constant pondere, numero vel mensura, aut certe in rebus aestimatis traditis: tunc enim maritus pleno iure fit rerum istarum dominus. Si vero species non aestimatae in dotem dentur, tunc uxor sola est domina dotis; ad maritum autem duo tantum ex iure domini pertinent, nempe rei datae vindicatio, et utendi fruendi ius.

*phernalium*, ita ut de his maritus ipsa nolente nihil disponere valeat. Hinc quoad illa nullatenus uxor a marito dependet. — S. Lig. *ibid.*

III. Proprietas et utilitas bonorum *communium* pertinet ad utrumque coniugem; sed administratio eorundem pertinet ad solum maritum. Haec autem communitas bonorum varias condiciones seu restrictiones admittere potest, et idcirco attendendum est ad varias locorum dispositiones. — Elbel, n. 69.

II. *Dispositiones Iuris Gallici.*

Pacta, quae a coniugibus ante matrimonium iniri possunt, tres classes, seu regimen triplex constituunt, scilicet 1<sup>o</sup> regimen *dotale*; 2<sup>o</sup> regimen *communitatis*; 3<sup>o</sup> regimen *excludens communitatem*.

550. — I. *Regimen dotale*. Bona dotalia sunt, quae uxoris dotem constituunt: horum vir administrationem plenam habet, et usumfructum percipit. Uxor vero solum dominium directum servat (art. 1549).

Si bona dotalia consistant in mobilibus sive partim sive totaliter, vir eorum dominium perfectum habet, et tantum de eorum valore consignato, in contractu matrimonium praecedente, tenetur (art. 1554).

Bona dotalia nullatenus alienari possunt, etiam uxore consentiente, praeter certos quosdam casus lege exceptos (art. 1551. seq.).

Bona autem quaecumque uxoris, in dote non constituta, remanent ipsi omnino propria, seu ut paraphernalia habentur, et eorum mulier etiam administrationem habet, atque usumfructum percipit (1574. 1576.). Non potest tamen immobilia alienare, neque pro eis in iudicio se sistere sine expresso mariti consensu, aut, renitente marito, sine sententia tribunalis *primae instantiae* (art. 1576.); quod idem dicendum, si uxor in bonis sit prorsus separata (art. 1536.).

Ad bona paraphernalia spectant ea quoque, quae uxor sibi comparat *singulari industria* vel labore extraordinario, adhibita rei familiaris sufficienti cura, vel ea, quae accumulatur aliquid subtrahendo de sibi concessis ad victum, vestitum, recreationes, etc., tum etiam ea, quae ipsi data fuerint cum expressa conditione, ut viro non cedant.

551. — II. *Regimen communitatis*. Locum habet, cum coniuges in contractu matrimoniali statuunt, quaedam bona inter se fore communia (10). Communitas autem est vel *legalis* vel *conventionalis*, prout lege vel pacto speciali contrahentium constituitur.

Communitas *legalis* coalescit 1<sup>o</sup> ex omnibus bonis mobilibus, quae

(10) Hoc forte minus exacte dicitur. Nam etiamsi coniuges non statuunt, quaedam bona fore communia, si tamen quodvis aliud pactum desit, locum habet vi legis *communio legalis*. Vid. art. 1393 et 1400.

coniuges possidebant ipso initi matrimonii die, vel quae ipsis deinde titulo successionis vel donationis adveniunt; 2<sup>o</sup> ex omnibus fructibus et quibuscumque redditibus bonorum immobilium possessorum a sponsis ante matrimonium, vel ipsis, durante matrimonio, advenientium; 3<sup>o</sup> ex omnibus bonis immobilibus, quae ex bonis communibus tempore matrimonii acquisita fuerint (art. 1401-1402.).

Communitas *conventionalis* consistit in aliis pactis sponsorum, quibus statuta legalia restringi vel relaxari possunt. His deficientibus, sola legis dispositione communitas regitur.

552. — Sub regimine *communitatis* solus maritus administrationem et usumfructum habet bonorum communium. Imo potest ea vendere, commutare, in hypothecam tradere, etiam sine uxoris consensu. Non tamen potest donare titulo gratuito immobilia, neque mobilia titulo universalis, seu quoad eorum universitatem, vel quotitatem, seu dimidiam, tertiam vel quartam partem. Dissoluta autem communitate, bona et onera in duas partes dividuntur, nisi uxor aut illius heredes bonis renuntiare, et ita ab oneribus se eximere maluerint. Debita ab utroque coniuge, vel ab eorum heredibus solvenda sunt (art. 1482.).

553. — III. *Regimen excludens communitatem*. Duplici modo sponsi illud constituunt, scilicet, 1<sup>o</sup> declarando se inire matrimonium *sine communitate*; 2<sup>o</sup> statuendo, se quoad bona quemque sua fore omnino separatos. *In priori casu* vir percipit omnes redditus bonorum uxoris, et solus omnia administrat. Sed si usu consumantur, illorum valorem reddere tenetur. *In casu vero posteriori* mulier habet omnium suorum bonorum administrationem et usumfructum. Uterque autem sponsus ad onera matrimonii speciali pacto concurrat; si vero nulla conventio existat, uxor usque ad tertiam partem reddituum suorum concurrere debet. Quocirca in tertio hoc regimine, quemadmodum et in secundo, *dos quaedam* ab uxore tribuenda est, qua oneribus matrimonii ex parte subveniat; verum dos eiusmodi a viro alienari potest (\*).

(\*) Ius italicum C. C. artt. 1388.-1446. distinguit bona uxoris in dotalia, paraphernalia, communia. Quoad duo priora eadem generatim valent, quae dedit A. ex iure gallico. Quoad communia non permittitur communitio universalis nisi utilium, ex bonis mobilibus et immobilibus, praesentibus et futuris quae cum ipso matrimonio incipiat, cuius communionis effectus est ut luera ex iis sive coniunctim sive seorsim facta, communionem durante, sint inter coniuges ex aequo divisibilia artt. 1433.-1436.

nisi aliter ex libera conventionem statuatur artt. 1434. 1440. Bona acquisita ab altero per successionem aut donationem, communionem durante, non spectant ad communionem art. 1435.

Porro bonorum communitatis solus vir habet administrationem isque solus pro iis agere in iudicio potest: nequit tamen, nisi ex titulo oneroso, alienare aut hypothecae subicere bona, quorum proprietatem spectat ad communitatem art. 1438. Communitas regitur vel specialibus pactis con-

554. **Resolves.** — 1<sup>o</sup> Uxor habet ius strictum ad sustentationem ex bonis communibus; illam ergo sibi comparare potest, si maritus renuat, vel aegre admodum consentiat.

2<sup>o</sup> Non peccat uxor subducendo aliqua pro victu, vestibus, caeterisque familiae necessariis, quae mariti saepe non curant, et frustra ab illis peterentur. — S. Lig. n. 541.

3<sup>o</sup> Si maritus in detrimentum familiae bona dilapidet vel prodigat, potest uxor ea abscondere, et in bonum familiae reservare.

4<sup>o</sup> Non iniuste agit uxor, si inscio marito nonnulla sibi sumat, quae facile ac certo maritus concederet, si rogaretur; adest enim licentia praesumpta et aliquando iusta causa non petendi, ne cogatur sese ostendere ut ancillam. — Reuter, n. 47.

5<sup>o</sup> Uxor potest in defectu mariti ex bonis communibus expendere, quae necessaria sint ad impediendum grave damnum familiae impendens. — Lugo, disp. 16. n. 67.

In his tamen et similibus caute agendum est, ne uxoribus laxentur habenae, cum propensae sint ad iura sua plus aequo extendenda.

555. **Quaesita.** — **QUAER.** 1<sup>o</sup> *An uxor ex bonis communibus vel ex fructibus suae dotis eleemosynas facere possit?*

*Resp. Affirm.*, etiamsi alioquin habeat bona propria, modo id fiat iuxta consuetudinem aliarum mulierum eiusdem conditionis. Ratio est, quia uxor non est serva, sed socia; quamdam ergo administrationem in domo mariti habere debet. Deinde maritus merito praesumitur consentire in ea, quae fiunt ab uxore iuxta honestum regionis atque conditionis morem; et si invitum sese exhibeat, talis dissensus censetur irrationalis, quia maritus uxorem privare nequit iure ei legitima consuetudine concessa. — *Ita communiter* cum Lugo, S. Lig. n. 340.

556. — **QUAER.** 2<sup>o</sup> *An teneatur ad restitutionem maritus, qui notabilem partem bonorum communium prodige vel male impendit?*

*Resp. Disputatur.* I<sup>a</sup> **SENTENTIA probabilis** affirmat. Ratio est, quia licet maritus habeat administrationem bonorum, uxor tamen habet dominium dimidiae partis illorum, et proinde ius illud violatur, si ipsa rationabiliter invita, pars illa a marito dissipetur. — Ita Antoine, p. 3. c. 5.; Collet, *de Iust.* p. 3. c. 4. — Pontas, vid. *Communauté.* — Conf. d'Angers, *de Matr. ut contr. civili*, qu. 2. — Gousset.

II<sup>a</sup> **SENTENTIA etiam probabilis** negat *generatim*, idest nisi maritus excedat limites iuris sibi a lege concessi. Ratio est, quia uxor ex lege

trahentium, vel, iis deficientibus, legibus contractus *societatis* art. 1434.: servanda sunt tamen quae mox dicta sunt. Si communionem solutam coniuges rursus instau-

rare velint, debet iisdem pactis constitui quibus ab initio fuerat constituta: secus nulla est art. 1443.